

GENERALIS INTROITUS
PRODROMI HUIUS CRITICI.

L. B. S. P. D. A.

Dum in *Tuum* sese conspectum, *Honoratissime Lector!* jamjam committere aude hicce meus *Speciminum futurorum Prodrömus*: facile quidem Te, nulla salutatum vel præmonitum *anteceffione*, in ejusdem penetralia statim intromittere potuissem; quia & *Catalogus*, & *Hexas*, & *Fasciculus*, Tibi *scitu necessaria* pluribus jam complectuntur. Verum, ex brevi illo tempore, quo ea, quæ hic comparent, vel meo *scripta* sunt calamo, vel his etiam *typis* expressa, nonnullæ contigerunt *circumstantiæ*, quæ aliqua ex improviso immutarunt, *hic nentiquam reticenda*: quibus nunc etiam *alia quædam* subjungere visum fuit, vel ad *Tuam* de opusculis hisce *informationem*, vel ad *meam* quoque *excusationem* aut *defensionem* ulterius spectantia. Qui Tuis primo loco subjicitur oculis, *edendorum XX. Libellorum*, aut maturius aut ferius *imprimendorum*, *Catalogus*, tum à me *efformatus* est; cum *Bibliopola* spem adhuc mihi *facere* poterat, fore, ut *una cum hoc Prodrömo* in lucem publicam quoque *typis* ederentur, & meum *Jus Postliminii Orientalium Linguarum*, inprimis *Hebrææ*, & *Generalis Idea cursus Philologici OO. adæquati*, & *Gnomon OO. Horologii*, *Horis XXIV. diversorum Collegiorum decurrentis*. Jam vero *deinceps* ita onerata & quasi *oppressa* sunt omnia *Tubingensium Typographeorum prela*, ut paucas hasce *IX. schedas* vix, ac ne vix quidem, magna cum molestia, in *duabus* *Typographiis*, aliquot *Hebdomadarum* spatio, post varia *impedimentorum* genera, ad finem *exoptatum* perducere potuerim. *Hisce de causis*, neque in *sinistram* partem *interpretabere*, quod *edendorum Catalogus* modo dicta *ista tria opuscula* inter alia *non delineaverit* *fufius*, neque ægre hoc *feres*, quod *vicibus nonnullis*, licet *nondum edita*, *tamen citata* fuerint à me, eorum quoque *imprefionem* pro certo mihi *promittente*. Equidem in *Fasciculo pollicitus* sum, post *Ferías Paschales* me *illorum editionem* illico *curaturum*: verum & hoc *jam dubium* mihi *redditur*, ad *Reforma-*

tum *Gymnasilii Montisbeligardensis* ante tres fere hebdomadas gratiosa oblatione destinato : ubi nunc *mei juris* amplius haud plene potero esse , sed variis negotiis hic vel ibi expediendis meas impendere debebo curas , per *instantes aliquot Septimanas* proximas. Forsitan nihilominus permittent *expectanda nunc circumstantia* , ut vel *hic* ad Festum Pentecostes , vel *alicubi* in meo , quod nunc paratum eo , *brevi literario itinere* , vel in ipsa etiam *Montisbeligardensi civitate* (si eo mihi statim pergendum foret) vel *alibi* quoque , promissa citius *isthac opuscula* , una cum nonnullis aliis , faustam experiantur typographicarum operarum Lucinam. Circa *ipsum* autem *Libellorum edendorum Catalogum* , post *plura alia* in eodem jam annotata , hoc *unum heic* monendum esse censeo : ne quis forte *Titulum* ejus male intelligens , *Bibliopolarem & sterilem* magis , quam *realem* aut *foecundum* criticumque huncce meum judicet esse *Catalogum* , eumque nondum inspectum vanitatis aut inutilitatis immerito condemnet : cum & *neccessaria & utilia & curiosa* olim publicanda , criticeque jam aliquo modo delineata exhibeat *volumina*. Quod ad *sex Collegia* attinet , jam monui *neccessaria* tam in *Præfatione* quam *Conclufione Hexados* ipsius. Si *promissum viri boni* cadere debet in debitum , non potui non typis vulgare istam *habitorum Collegiorum formam* , *Auditorum* quorundam repetitioni nonnihil commodi allaturam , meamque una datam iis aliquando *fidem* hoc pacto liberaturam. Neque quisquam (ut mihi *persuadeo* firmiter) suam luserit operam , qui aut *ipse* monstratam methodum secutus fuerit , aut *interpretem idoneum* , eam prolixius illustrantem , audierit : cum alias etiam sit familiare in *quibusdam* *Academiis* , ut *concisum* vel *publicarum* , vel *privatarum Prælectionum schema* , etiam *OO. Linguarum Professores* , una cum aliis , in *semestri studiorum ordine* præsignificent. Placuit , in gratiam *Venerabilis* , *mibiq; Æstumatissimi* , *Amicissimiq;* , & *perpetua memoria* recolendi *Dominorum Repetentium Collegii* , parca licet manu , ob *paginarum angustiam* , paucis §§is adjicere *Fasciculum Observationum disputabilium* : non quasi folia priora *dubiis* carerent *notabilibus* , sed ut aliquod modo *specimen* utilitatis , ex studio *Lingarum critico* haurienda , hic tanquam *prodromi* loco præmitterem , pro nata occasione longe *plurimas*

rimas hujus generis *observatiunculas*, cum benevolo Lectore in posterum communicaturus. In *presentibus* occurrunt vera, necessaria, verisimilia, arbitraria, problematica, dubia, controversa, logomachica, recens notata, *mixtaq;* (verbo) *Philologico-critico-theologica*. Neminem *pœnitebit*, in hujusmodi negotiis suam adjungere fidem sagacissimis *Viri κερικωταλς* (intelligo *Doctissimum Henmannum*, *Meritissimum Gotting. Gymn. Rect. ac Profess.*) diversis in locis cordate pronunciatis hisce *effatis*. In *Præfat. Pœciles* suæ ita ait : *Theologia exegetica* per omnes *Theologos*, quotquot sapiunt, *licet esse Eclectica*. Qui enim cum nonnemine ita ineptiunt, ut *præscribere Exegetis* ausint *Formulam aliquam Concordiæ Exegeticæ*, ii vero à melioris notæ *Theologis* contemnuntur, gregique obscurorum virorum adscribuntur. *Rursus Tom. I. p. 50.* sic *A. 1721.* scribit ad *Cel. Clericum Gymnas. Amst. Prof.* cujus *Criticam* parte *therapeutica* olim auxerat, & ad cujus *tribunal Criticum* suam hic detulit *conjecturam* de emendando quodam *Quintiliani* loco. Cum *ars hæc Critica*, *dicit*, *conjecturis* nitatur, quæ per se aliquid *infirmatis* habent, non alia superesse videtur ratio, *conjecturas* illas convertendi in *divinationes*, hoc est, summam *fidem* iis conciliandi, quam si *conjecturis nostris criticis* impetramus *applausum* unius alteriusque è *Senatu critico*. Arbitror namque, cum duo tresve homines & ab ingenio & ab arte instructissimi *conjecturam aliquam criticam*, quam quis protulit, approbant, & clarissimam felicissimamque pronunciant, tunc *incertum* illud, quod naturaliter inest *conjecturis*, *reddi certissimum*. Vix enim fieri potest, ut, postquam accuratissime res fuit expensa à *viris ingenio valentibus usque confirmatis*, nec ullo aut *affectu* aut *præjudicio* in alteram declinatis partem, in errorem consentiatur. Imo *sacrum* illud & hic locum habere crediderim : *In duorum triumve testium ore consistit veritas*. Porro *A. 1723.* ad *Gymn. Vinar. Conrectorem* & *Bibliothecarium Duc. Gesnerum Doct.* cui, ab ipso aliquo in loco discedentem, *M. V. La Croze*, *Eruditissimum Bibliothecar. & Antiquarium Berolinensem* antea allegaverat, *Pœcil. T. I. L. 3. p. 440.* hæc perscripsit verba : *Ipsè dices sententiam tuam, vel te viduum ingenue fassurus, vel rationes Crozianas firmis responsionibus devicturus. Scilicet facile est*

est falli in re critica. Sipientis igitur Critici est, acceptis melioribus strenue mutare sententiam seque errasse confiteri. Id ipse nunc faciam, repudiaturus, quam supra exposui, emendationem loci cujusdam Pliniani. Tandem & Pœcil. T. II. L. IV. p. 475. A. 1727. D. Heumannus hæc ponit, aliquot Angli Theol. & Critici Cel. Rich. Bentleji, cujus gratiam prius aucupatur, loca in edito ab eodem Terentio ac Phædro correcturus: Facile quidem in hoc genere erratur, nec unus est criticorum, qui semper veram perviderit scripturam. Promant igitur Critici conjecturas suas certatim. Judicabit de singulis posteritas, rejectisque Criticorum somniis retinebit divinationes veri nominis. Profiteor & ego meum nomen inter Criticos, sed tantum ab arrogancia, ut eas duntaxat mearum correctionum feliciter successisse putem, quas consecutus est vel fuerit applausus unius & alterius è senatu critico. Plura non capit pagina, nec iis opus est quoque. Approbo hæc, quatenus Critici, tum Hebræum V. tum & Græcum N. T. Textum, censuris suis therapeutice haud subjiciunt licentia eadem, quam sibi sumunt in Auctoribus profanis, Plauto, Terentio, Phædro, Cicerone, Tacito, Quintiliano, Ovidio, Tertulliano, Lactantio, Celso, Floro, Virgilio, Plinio, Horatio, Hieronymo, Petronio, Justino, Curtio &c. in quo (ut alios taceam) Principes hodie Criticos, Bentlejum atque Clericum extra terminos esse evagatos plus satis constat. Possunt autem citata isthæc testimonia, partem meam etiam exponere mentem de meis in hoc Prodromo sententiolis: e. g. de B. Hilleri Arc. K. & C. de Masova, de Accentuatione, de locis Piskatis, de usu Linguarum authenticarum, & necessitate, de Devt. 32, 5. de Ps. 80, 16. 18. variisque aliis in schedis hisce expositis, quarum examen accuratum haudquaquam abhorreo aut refugio, vel in ipso Honor. Dnn. Collegarum publico discursu disputatorio, vel in reliquis etiam occasionibus literatis; eo lubentius quoque mutaturus strenue falsi convictam sententiam aut improbabilitatis criticae, quo certior sic esse potero de quorumvis bonorum vel dissensu, vel suffragio, vel venia saltem, mihi concedenda: quam & meis calami festinantis lapsibus, & officinarum, pluribus simul imprimendis valde distractarum, erroribus ab æquo harumque rerum gnaro Lectore decenter expeto. Dabam d. 8. Apr.

1729. è Museo in Stipend. III.

CATA-